SPECIMEN INAVGVRALE MEDICVM

DE

PESTE

QVOD

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

PRO GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

A. D. IV FEBRVARII CIƆIƆCCLXXXXII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISIT

CAROLVS FRIDERICVS BEHM

HABSALIA-ESTHONVS

CHIRVRGVS IN EXERCITV RVSSICO PRIMARIVS.

IENAE,

TYPIS GOEPFERDTII.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

MATTHIAE GAGARIN

SACRI RVSSICI IMPERII PRINCIPI

AVGVSTISSIMAE OMNIVM RVSSIARVM IMPERATRICIS EXERCITVVM PRAEFECTO ET COHORTIS PRAETORIANAE DVCI DYNASTAE PLVRIVM TERRARVM

BONARVM LITERARVM VINDICI AC PATRONO

DOMINO ET MAECENATI SVO

INDVLGENTISSIMO ET MVNIFICENTISSIMO

SPECIMEN HOC ACADEMICVM

TANQVAM

GRATISSIMAE MENTIS DOCVMENTVM

EA QVA DEBET

ANIMI RELIGIONE

D. D. D.

SERENISSIMI NOMINIS

DEVOTISSIMVS CLIENS

CAROLVS FRIDERICVS BEHM.

Cum specimen hoc inaugurale ad purpuram TVAM, SERENISSIME PRINCEPS, *depono, non morem sequor frequenti abusu suspectum, sed animo indulgeo aeterna pietate* TIBI *deuincto. Summa sane laetitia arripui opportunitatem, publice declarandi, quanta* TVAE *in me fuerint gratiae ac benignitatis documenta, qualisque mea sit erga* TE *grata mens et beneficiorum* TVORVM *memor. Tot tantisque, quibus me cumulasti, clementiae* TVAE *signis ac testimoniis*

hoc,

hoc, precor, adde, vt benigno vultu excipias munuſculum, quod, etſi leuidenſe nec Tva *perſona dignum ſit, pietatem tamen meam et in* Te *reuerentiam teſtatur. Deum ter Optimum Maximum ſupplex obſecro, vt* Te Tvam*que Sereniſſimam domum ſoſpitem ac incolumem ſeruet,* Tvam*que vitam ad hominum multorum ſalutem augendam et perficiendam in ſeros vsque annos perducat.*

PROOEMIVM.

Saepe diuque mecum reputaui, num hac mea commentatiuncula augerem illorum librorum numerum, qui de peſte ſcripti ſunt, praeſertim cum tot et tam variae euulgatae ſint obſeruationes virorum, quibus morbum illum ſaepius contemplari licuit in regionibus eidem quam maxime obnoxiis. Etſi vero nec eorum, qui non ſine propriae vitae diſcrimine malum illud, humano generi infeſtiſſimum, adcuratius examinare ſtuduerunt, laudi aliquid detrahere animus ſit, nec meam experientiam illorum doctrinae et peritiae comparare; videtur tamen ipſa morbi atrociſſimi varia indoles, aeque ac diuerſus curationis modus, tum noua aliqua et priſtinis obſeruationibus ſubiungenda additamenta admittere, tum iterata disquiſitione et confirmatione quodammodo indigere.

Itaque cum et mihi anno CIↃIↃCCLXXXIII, dum Cherſoni viuerem et Chirurgi in claſſe Ruſſica primarii munere fungerer, peſtem obſeruandi opportunitas non defuerit, pluresque aegroti hoc morbo laborantes meae curae in noſocomio, cui praefectus eram, traditi fuerint; non plane inutilem laborem me ſuſcepturum eſſe arbitrabar, ſi annotationes meas ſuper hoc morbo factas in ordinem redigerem ex iisque ſpecimen inaugurale componerem, quod, veluti ſymbola, aliorum virorum ſcriptis adderetur. In re, quae humano generi quam maxime intereſt, ne ſymbolam quidem, quantulacunque ſit, plane deſpiciendam aut pro nihilo habendam eſſe equidem mihi perſuadeo.

Monendum autem eſt, me non plane rudem ad indagationem naturae huius morbi acceſſiſſe: iam enim legeram

ſcripta

ſcripta b. SCHREIBERI et Perill. Lib. Bar. ab ASCH, nec non praecepta illa medica, quae iuſſu Collegii ſanitatis Mosquenſis durante ibi peſte typis exſcripta ſunt. Sed etiamſi egregiis illis obſeruationibus et regulis innitendum eſſe cenſerem, ipſam tamen naturam conſulere adeoque illa, quae didiceram, propria experientia confirmare ſtudui. Silentio vero praeterire nequeo ſingularem erga me amicitiam cl. SCHINDLERI, Chirurgi in exercitu Ruſſico primarii, qui ſapienti conſilio ſaepiſſime mihi ſuccurrit, ſuaque experientia, (viderat enim peſtem iam priori bello turcico), quaecunque mihi ad intelligendam morbi naturam et curationis indolem ab initio deeſſent, beneuole ſuppeditauit.

Quod ſi vero in his et in illis a communi opinione receſſiſſe videar; non nouitatis ſtudio indulſi, ſed experientiam ipſamque naturam ducem habui, cui maiorem fidem me adhibuiſſe, quam hominum auctoritati, lubens fateor. Quae autem ſcripſi, vera ſunt nec aliorum teſtimoniis egent: ſi tamen opus eſt, vt in re tam graui aliena fides meae addatur, liceat citare teſtem omni exceptione longe maiorem, Collegium nempe Illuſtriſſimum, quod res medicas per totum, qua late patet, Imperium Ruſſicum ſapientiſſime dirigit, cui non ſolum ea, quae retuli, nota ſunt, ſed cuius examini ipſa haec academica commentatio ſubiicienda demum eſt.

Denique vero, ne ſpeciminis inauguralis limites tranſirem, varias peſtis ſpecies earumque notas characteriſticas non recenſui, ſed meas qualescunque obſeruationes et remedia, quibus in curando pernicioſiſſimo hoc morbo vſus ſum, breuiter expoſui. Animus enim potius fuit experientia mea qualicunque illuſtrare et confirmare id, quod quidem aliorum obſeruatio docuit, nondum vero plane expediuit, quam ea repetere, quae abſoluta ſunt nec vlteriori examine aut expoſitione indigere videntur.

§. I.

§. I.

Inter varios illos morbos, quibus humana natura obnoxia eſt, vix vllum inuenies, qui peſti comparari poſſit, tum quoad diuerſitatem in decurſu et curationis modo, tum reſpectu communis et inuincibilis fere perniciei, quam inferre ſolet. Semper oritur, certe in Europa, per communicationem aut infectionem. *) In aëre contagium vix eſſe poteſt: tum enim omnes hoc morbo adfici deberent, exceptis iis, quibus nulla diſpoſitio ad illum intercederet. Ipſa vero peſtis ſerius ocyus ſeſe manifeſtat per ſigna ſua, et quidem diuerſo modo, ratione maioris minorisue vis contagii, habitus aegroti, decurſus morbi, naturae miasmatis et epidemicae conſtitutionis. Haec conſtitutio Cherſoni duplex fuit, vel bilioſa, vel putrida. Catarrhales morbi ſporadice ibi occurrunt, mere inflammatorii raro.

§. II.

Plurimi illorum Virorum, fama meritisque conſpicuorum, qui peſtem ſuis oculis viderunt et adcurate obſeruarunt, conſentiunt

*) Varias Medicorum hac de re ſententias docte ſtrictimque expoſita ſi legere vis, librum adeas, cui titulus eſt: HOWARD's *Nachrichten von den vorzüglichſten Krankenhäuſern und Peſthäuſern in Europa*, Leipz. 1791. pag. 81—85. pag. 109—112.

tiunt quidem plerumque in deſcriptione originis et ſymptomatum huius morbi, non vero in diſtinctione graduum et curationis ipſius. Vt exempla tantummodo proferam illorum ſcriptorum, qui peſtem in eadem regione obſeruarunt, in qua ipſe illam vidi, Perill. L. B. ab Asch *) duos gradus diſtinxit, Ill. Dolst **) quatuor, Ill. Oraevs ***) tres, cl. Minderer †) quoque tres. Ill. vero Samoilowitsch ††) graduum diuerſitatem ſecundum durationis tempus diſtinxit, ita, vt initium morbi lenius, medium grauiſſimum et finem iterum leniorem eſſe referret.

§. III.

Simili quoque modo differunt celeberrimi ſcriptores in curatione huius morbi. Cauſſam diuerſitatis in epidemica conſtitutione, anni tempore, vitae ratione, temperamentorum diſcrimine rel. quaerendam eſſe, dubium vix eſt. †††) Ceterum vero deſcriptio, quam iidem dederunt, ſymptomatum peſtis, tam adcurate reſpondet ipſi huius morbi naturae et tam diſtincta et perfecta eſt, vt vel is, qui nunquam antea viderit peſtem, errare nequeat, ſi hoſce duces in obſeruando morbo illo ſequatur.

§. IV.

Graduum ipſorum adcurata diſtinctio, quae vbiuis conueniat, vix excogitari poſſe videtur: genus tamen peſtis in acutam et lentem diſtribui, reliquasque diuerſitates pro ſpeciebus huius morbi

*) *Beſchreibung der Heilart der Peſt zur Zeit der erſten Anſteckung in Jaſſi*, im Jahr 1770.

**) *Diſſ. ſiſtens obſeruationes nonnullas de peſte.* Jenae 1784.

***) *Deſcriptio peſtis, quae anno 1770 in Jaſſia et anno 1771 in Moscua graſſata eſt.* Petrop. 1784.

†) *Specimen inaugurale de peſte eique medendi methodo.* Jenae 1789.

††) *Abhandlung über die Peſt, welche im Jahr 1771 das Ruſſiſche Reich, beſonders die Hauptſtadt Moscau verheerte.* Leipz. 1785.

†††) Probari hoc poteſt ex diuerſitate curationum, quae breuiter expoſitae ſunt in libro b. Howard pag. 96 — 100.

morbi haberi posse, equidem mihi persuadeo. Sed et hic occurrunt variae res accidentales, quae systematicae distributioni obstant. Praecipue enim ratio habenda est maioris minorisue vis et vehementiae ipsius contagii, nec non habitus et naturae aegroti. Ita quoque perinde non est, quo tempore medici auxilium quaerat aeger: morbus enim ab initio talis non est, qualis in decursu obseruari solet.

§. V.

Dubitari fere nequit, quin pestis miasma in Africa, et quidem in Aethiopia et Aegypto, oriatur et cum mercibus vehatur in Orientem, indeque in regiones ad mare nigrum sitas, immo etiam in Europam deferatur, vel mercaturae vel belli ope, ita tamen, vt semper immediato contactu ad propagandam et communicandam pestem opus sit. Patet hoc, vt vnico tantum exemplo vtar, ex illa peste *), quae anno 1720 Massiliae incepit totamque fere Prouinciam Galliae deuastauit, quam navis ex Oriente illuc aduexit. Liceat quoque hoc loco exponere ea, quae a duobus viris fide dignissimis, nempe Perill. Lib. Bar. a Friederichs, qui Petropoli adhuc viuit, et b. Lib. Bar. a Müller, qui in proelio contra Turcas cecidit, mihi communicata sunt. Hi, cum ex vrbe Chersonensi iter facerent Alexandriam et Cairum, ab incolis perceperunt, pestem plerumque oriri post eluuionem Nili et subitaneam terrae madidae desiccationem, inprimis si fame praegressa, vt saepe fieri soleat, vires corporis fractae et humores d. prauati fuerint, adeoque maior ad pestem recipiendam procliuitas exorta fuerit: morbum quoque hunc, accedentibus illis malis, multo acerbiorem fieri subitoque homines necare. Conueniunt haec cum iis, quae Thucydides de peste Atheniensi et Lucianus de illa, quae Romae obseruata fuit, literis tradiderunt.

§. VI.

Monuit quidem cl. Hollande **), Aegyptum tanquam fontem pestis considerandam non esse, quia decem annorum spatio, quo

 tem-

*) Chicoyneau *von der Pest, übers. von* Ringebroig. Leipz. 1783. Russell's *Treatise of the Plague.* Lond. 1791. pag. 210.

**) Samoilowitsch l. c. pag. 93.

tempore nimirum Cairi vixit, morbus ille ibidem non adfuit, cum tamen eodem tempore Conſtantinopoli aliisque in locis omnino obſeruatus fuerit. Hoc vero noſtrae ſententiae in iterata experientia fundatae non obſtat: fortaſſis enim nihilominus peſtis ortum traxit ex Aethiopia et Aegypto et tranſiit Conſtantinopolim aliasque in regiones mercium ope, ibidemque per aliquod tempus abſcondita et quaſi ſuppreſſa fuit, donec noua incrementa capere potuerit. Sic GVIDO DE CHAVLIAC aliique *) peſtem, quae ſeculo XIV. in Gallia obſeruata eſt, ex Aethiopia et Aegypto ortum duxiſſe certiſſimis argumentis probarunt.

§. VII.

Quam facilis ſit miasmatis peſtilentialis communicatio et quam diu illud latere poſſit, pluribus exemplis conſtat. Legimus apud b. HOWARD **), per ſolum floris infecti odorem communicatam fuiſſe peſtem. Memorabilem hiſtoriam refert ORAEVS ***) veſtimentorum, quae ſeptem annorum ſpatio in ciſta aſſeruata fuerunt, tandemque, cum in lucem protraherentur, omnes, qui in illa domo erant, facta veneni communicatione, breui necarunt. Alios caſus †), quibus conſtitit, viginti aut plures poſt annos peſtis contagium veſtimentorum aut aliarum rerum ope propagatum fuiſſe, ſilentio praetereo.

§. VIII.

Peſtis, quae exorta iam eſt, vlterior propagatio cautione rite adhibita euitari poteſt. Turcae vero, MVHAMMEDIS religioni addicti, nec in hoc morbo nec in aliis eiusmodi, cautionem adhibere ſolent, ſed malum quodcunque ſuae ſorti committunt. Idem facere ſolent in peſte, quae igitur diu remanere poteſt in vna eademque vrbe, ita tamen, vt, pro varia diuerſarum cauſſarum ratione, mox diminuatur, mox fere diſpareat, mox denuo nouis

*) Vid. *Diſſertation de la contagion de la peſte.* Toulouſe, 1728.

**) l. c. pag. 82.

***) l. c. pag. 56.

†) CHICOYNEAV ex verſione cl. RINGEBROIG Tom. I. pag. 199.

nouis quaſi viribus captis ſeſe prodat. Accidit Cherſoni, vbi tamen omnis diligentia et cura adhibita eſt, vt veſpillones effoderent veſtimenta eorum, quos peſtis vis conſumſerat: haec per aliquod tempus occultata Iudaeis vendiderunt, adeoque morbum vix ſuppreſſum denuo excitarunt.

§. IX.

In morbis epidemicis vehementiſſimis, etiamſi in caſtris, nauibus, noſocomiis, carceribus aut in regionibus paludoſis et humidis occurrant et ſingulari malignitate conſpicui ſint, ſigna illa characteriſtica peſtis, nempe bubones et carbunculi, non obſeruamus: ſi vero eiusmodi ſigna adparuerunt, caſus illi ad rariſſimos referendi ſunt vel pro exceptionibus haberi debent. Fui ego in noſocomiis, in quibus tum a defectu ſufficientis ſpatii, tum ab ingenti aegrotorum numero, tanta aëris deprauatio exorta eſt, vt minima quidem abſceſſuum leuiorum inciſio propter aëris impuri acceſſum ſphacelum mortemque inferret, et tamen vera peſtis inde enata non eſt. Cum Ruſſica claſſis in mari mediterraneo eſſet, calidiſſimae aeſtatis tempore, ſcorbuti vehementiſſimum gradum enatum eſſe vidi, qui tantus erat, vt in veram febrem putridam, eamque valde malignam, tranſiret: rariſſime vero adparuerunt bubones, carbunculi nunquam, etſi bubones interdum ex metaſtaſi orirentur. Nec vidi peſtis indicia in Crimaea, vbi tamen aderant morbi bilioſi et putridi maligni, aut in regione ciuitatis, cui nomen eſt *Dimitrei-Roſtowsky*, ad oſtium fluuii Tanais in paludem Maeotidem loco humido ſitae, vbi ab incolis, qui piſcatu ſolo viuunt, piſcium inteſtina magnis aceruis collecta ſolis aeſtui vehementiſſimo exponuntur, quae tandem eum in modum foetidiſſimis hisce effluuiis aërem vitiant, vt peſtiferum eum habeas, etſi vere peſtilentialis non ſit. In hac quoque regione morbos varios epidemicos, eosque periculoſiſſimos et grauiſſimos, obſeruaui, nunquam vero peſtem. Ex his autem ſequi videtur, peſtem in Africa tantum generari poſſe a cauſſis nondum ſatis cognitis: ibidem enim illam procreari, omnes fere obſeruatores vno ore adfirmant.

§. X.

Natura ipſius contagii nondum ſatis liquet. Saepe quidem, ſed non ſemper, febris putridae formam induit: plerumque enim, vt antea dictum iam eſt, epidemicae conſtitutioni annique tempori adcommodatur. Hinc explicare poſſumus, qui factum ſit, vt plane diuerſa curationis ratione in hoc morbo, feliciſſimo tamen ſucceſſu, vterentur Medici, iique peritiſſimi: fuerunt enim, qui adhiberent venaeſectionem et euacuantia, imo draſtica purgantia, quae ego nunquam auſus ſum dare; fuerunt alii, qui remedia antiſeptica et ſudorifera, vel ſic dicta alexipharmaca, in vſum vocarent.

§. XI.

Bilem vero, ſi peſtis miasma non ab initio ſyſtema neruoſum immediate adficit, infectione potiſſimum corripi veroſimile mihi videtur. Diuerſa autem eſt ratio, ſi contagium, per immediatum contactum et inde enatam abſorptionem in ſanguinem delatum, elementares et conſtitutiuas bilis partes putredine et acrimonia adfecerit, vel ſi per os intrauerit, et ſaliuae admixtum in ventriculum et duodenum delatum fuerit, ibidemque bilem vitiauerit. Ipſa vero infectio per os, tum oriri poteſt ab halitu aegroti, ſi quis nempe propius ſeſe ipſi admoueat, tum a ſola inhalatione aëris per effluuia plurium aegrotorum peſte laborantium corrupti et peſtilentiali miasmate infecti *), inprimis ſi eiusmodi aegroti in loco anguſtiori continentur, nec vlla aëris depurandi et corrigendi ratio habetur.

§. XII.

*) The ſecond mode of contagion is by the medium of the air. The effluuia ariſing from the diſeaſed, received into the ambient air, form a peſtiferous atmoſphere, more or leſs impregnated with theſe effluuia, as it recedes from their ſource. That contagion is thus communicated in the chambers of the ſick, appears from perſons being infected without touchiny the diſeaſed body, or any thing in the room that may be ſuppoſed to harbour infection. RUSSELL's *Treatiſe* p. 298.

§. XII.

Humorum corporis humani nullus ſane tantam acrimoniam induit, ac bilis; id quod variis in morbis bilioſis probari poteſt. Nonne bilis per vomitum eiecta ſaepe tam acris eſt, vt palatum fauceſque erodat ipſamque dentium aciem obtundat? Idem accidit interdum in peſte, cum aegroti, vel ſponte vel adhibitis emeticis, vomitu corripiuntur. Quam maxime autem patitur bilis et acris redditur, ſi eius particulae elementares et conſtitutiuae in ipſo ſanguine corrumpuntur miasmate tam ſubtili et volatili. Hinc facile enaſci poteſt ſanguinis orgasmus et verſus caput congeſtio, cuius ſymptomata plerumque ſunt capitis dolor, oculorum rubor, delirium, immo ipſa rabies etc. Saepe eiusmodi phaenomena in peſte obſeruata ſunt, etiamſi nulla plethorae indicia adeſſent. Deſumitur inde venaeſectionis indicatio ad compeſcendum ſanguinis impetum, ita tamen, vt ſumma cautione parua plerumque ſanguinis copia e vena mittatur, idque potiſſimum fiat eum in finem, vt alia remedia idonea dein meliori cum ſucceſſu adhiberi poſſint. Eiusmodi in caſibus Ill. Dolst *) venaeſectionem inſtituit, antiphlogiſticis et ad aluum laxandam idoneis remediis vſus eſt, quibus demum ſubiunxit ſpiritum Mindereri et ſalia herbarum cum aceto vini aut ſucco citri mixta, quae ſub ipſo actu efferueſcentiae dedit. Ita quoque cl. Rvssell **) ſanguinem e vena mitti iuſſit, non vnica ſolum ſed iterata vice, ſi opus eſſet.

§. XIII.

Remedia ſudorifera, quae quibusdam in caſibus peſtis ſummo cum vſu adhibita, immo vim quaſi ſpecificam habere viſa ſunt, quorum in numerum refero mixturam ſimplicem a variis Medicis in vſum vocatam aliaque eius generis medicamenta, ſudorem

*) Vid. Eivs Diſſ. ſupra allegata.

**) *Treatiſe of the plague* pag. 162. „Bleeding was recommended as early as poſſible, but ſeldom repeated, where a quantity deemed ſufficient had been taken at firſt; except where particular circumſtances rendered it clearly requiſite."

rem foetidum et viſcidum mouendo omne miasma e corpore nonnunquam eiecerunt. Probatur inde, materiam bilioſam corruptam ad ſuperficiem corporis deferri adeoque impediri poſſe, quo minus haec ipſa materia nobiliores partes inuadat aut totam maſſam ſanguinis putredine adficiat. Docuit experientia, ſingularem conſenſum intercedere cutem inter et organon ſecernens bilem, materiamque bilioſam facile ad integumenta externa deferri: exemplo ſit eryſipelas bilioſum poſt terrorem enatum, aut icterus iram vehementiorem inſequens, vel inflammatio bilioſa ex ambuſtione ortum ducens.

§. XIV.

Sudorem vero viſcidum illum particulis bilioſis corruptis onuſtum eſſe, docent varii morbi, qui ex polycholia oriuntur, ac potiſſimum ſudore tenaci, oleoſo et ad cutis ſuperficiem vſtionis ſenſum excitante, vel vrina turbida eundemque vſtionis ſenſum, dum per vrethram emittitur, producente judicantur. Saepe hoc et in peſte euenit, in qua ſputa quoque viſcida haud raro obſeruantur: haec vero manifeſte bilioſa ſunt et in morbis a bile exortis frequenter occurrunt. Monendum autem eſt, diarrhoeam in peſte raro locum habere, eamque, ſi qua accidit, non criticam et ſalutarem, ſed ſymptomaticam plerumque et perniciosam eſſe.

§. XV.

Videtur quoque haec ipſa materia bilioſa contagii ope ſubtilior facta, ſi in putredinem conuertitur, in cauſſa eſſe, cur carbunculi et furunculi gangraenoſi oriantur. Perraro fit, vt ſola putredo eiusmodi tumores producat, niſi accedat materia quaedam acris et volatilis, quae ad partes adfectas deferatur. Venit mihi in mentem exemplum Subcenturionis cuiusdam, qui matutino tempore ad aerarium venit, vt pecuniam acciperet. Fuerunt ipſi in facie puſtulae aliquae rubrae pruritum excitantes; ceterum vero ſanus fuit nullumque moleſtiae ſenſum percepit. Duarum autem horarum ſpatio puſtulae ſeſe eleuarunt et carbunculos conſpi-

conſpicuae magnitudinis formarunt. Tum ſenſit dolorem capitis, vertiginem viriumque defectum. In domum mox delatus, eodem die veſpertino tempore e vita diſceſſit.

Eadem haec bilioſa materia fortaſſis in cauſſa eſt, cur non in omnibus caſibus acida mineralia aut vegetabilia pari ſucceſſu adhibeantur, id quod non ex aliorum obſeruatione ſolummodo percepi, ſed et ipſe expertus ſum.

§. XVI.

Venio iam ad alteram infectionem, quam per os fieri ſupra monui. Hanc quidem nonnulli plane negarunt, ſed perperam, quippe quam ſaepe locum habere ipſa experientia teſtatur. Omnium morbi ſymptomatum et ſignorum examine adcurate inſtituto facile mihi interdum fuit diſtinguere, num abſorptionis ope per cutem, vel num per receptionem in primas vias infectio locum habuerit. In hoc autem me non erraſſe, ipſe curationis, ſingulari peſtis origini adcommodatae, felix ſucceſſus patefecit.

§. XVII.

Qui hoc altero infectionis genere correpti fuerant aegroti, ſequentibus laborare ſolebant incommodis. Erant ipſis oculi languidi, lingua viſcoſo muco obducta, ſapor in ore amarus, preſſionis ſenſus in praecordiis, dolor in regione lumborum et oſſis ſacri, laſſitudo, virium defectus, triſtitia et animi demiſſio. Hiſce in caſibus egregius plerumque fuit emeticorum vſus, pro re nata iteratus, cuius ope magna corruptae bilis copia eiecta eſt, quo facto non ea ſolummodo ſymptomata, quorum ſupra mentionem feci, diſparuerunt, ſed etiam reſpirationis difficultas, a contagio in pulmones delato procul dubio enata, mox remota eſt. Denique eam bilis partem, quam in ſanguinem iam transiiſſe mihi perſuaſi, remediis ſudoriferis, quae ſudores viſcidos, atque oleoſos mouerunt, expellere ſtudui, id quod optime mihi ſucceſſit. Interdum vero ſalia media reſoluentia leniterque laxantia adhibui, praeſertim cum bilem muco mixtam et quaſi inuolutam eſſe animaduerterem. Ex illa vero muci abun-

 dantia

dantia lenta peſtis, cuius ſupra mentionem feci, ortum duxiſſe videtur. Haec quidem morbum diutius protraxit, et ſaepiſſime exitialis fuit.

§. XVIII.

Egregius autem plerumque fuit vſus, quem adcurata diſtinctio diuerſi infectionis generis variique ipſius contagii in bilem effectus mihi praeſtitit in curatione aegrotorum, dum nempe ab initio morbi accederem. Si vero vnus alterue dies, aut plures, praeterlapſi fuerant, tanta iam, pro varia ipſius contagii vehementia, enata erat maſſae ſanguineae deprauatio, vt raro auxilium ſupereſſet, niſi naturae vires ſingulari et inſolita prorſus ratione ſubuenirent.

§. XIX.

Emeticorum vſus in primo quoque infectionis genere ſalutaris fuit, quorum nempe vi non ſolum ſordes in ventriculo obuiae eiectae ſunt, ſed etiam materia morbi ad cutem delata eſt, id quod mechanicae corporis concuſſioni et neruorum ſtimulo tribuendum eſſe videtur. Datis vero tali euentu remediis iſtis, ſi deinde adhiberentur diaphoretica, e. gr. mixtura ſimplex, liquor mineralis anodynus Hoffmanni cum camphora, ſpiritus Mindereri, flores ſambuci et quae ſunt eius generis alia; ſudores exorti ſunt ſalutares, quorum ope morbus ſaepe ſublatus eſt.

§. XX.

Remedia antiſeptica, v. c. cortex peruuianus, ſerpentaria virginiana etc. in hoc morbi genere non ſolum fruſtra adhibita ſunt, ſed manifeſte damnum intulerunt, etſi in putrida peſte, iuſto tempore data, egregie plerumque conducerent. Inter iſta vero remedia principem locum interdum obtinuit decoctum arnicae concentratum acido vitriolico mixtum, alio vero tempore maiorem vſum praeſtare viſum eſt decoctum corticis peruuiani cum elixirio vitrioli Mynsichti, aut ſpiritus vitrioli potui ordinario admixtus, praeſertim ſi aderant petechiae aut ſanguinis ec-

chymoſes

chymoſes aliaque diſſoluti ſanguinis indicia. Tum quoque e vſu fomentationum tepidarum aceti, aut ex frictione extremitatum ſpongiae aceto madefactae ope, optimum ſucceſſum eueniſſe vidi.

§. XXI.

Superfluum ſane foret, ſi varia peſtis ſigna et ſymptomata prolixe enarrare vellem, quippe quae in ſcriptis ſupra allegatis adcurate copioſeque expoſita ſunt. Accedit, quod varietates, quae in peſte occurrunt, a variis cauſſis accidentalibus dependeant, adeo, vt neceſſe ſit, cuiusuis peſtis genium quaſi explorare, morbique naturam non ſolum ſollerti ſtudio indagare, ſed etiam cum aliis eodem loco iam antea obſeruatis peſtis ſpeciebus comparare. Quod ſi equidem in curando atrociſſimo hoc morbo non infauſtus fuerim, ſollerti cautoque naturae ſtudio hoc tribuendum eſſe lubens fateor.

§. XXII.

Liceat autem de ſignis characteriſticis peſtis, nimirum de carbunculis et bubonibus quaedam proferre. *) In eo potiſſimum res verſari videtur, vt rite diſtinguas, num breui poſt infectionem, vel num die quarto, aut quinto, aut ſerius adhuc adparuerint? num ſymptomatice vel metaſtatice aduenerint? Si ſymptomatici ſunt hi ipſi tumores, tuto per diſcuſſionem aut reſolutionem auferri poſſunt: ſi vero critici aut metaſtatici ſunt, non repelli debent a ſuperficie corporis ſed ad ſuppurationem excitandi ſunt, eum in finem, vt materia morbi, quae corpori ineſt, ad ſuperficiem deferatur. Hoc vero fit pro re nata, vel cataplasmatum emollientium, vel irritantium adplicatione, aut iuſto vtrorumque connubio. Carbunculi, qui metaſtatici ſunt, inciſionibus tempeſtiue aperiri poſſunt, ita tamen, vt loci ipſius, partium vicinarum etc. ratio habeatur. Matura ho-

*) Varias obſeruatorum de pathognomonicis et characteriſticis peſtis ſignis ſi legere vis, Howardi librum adeas, quippe qui pag. 91 --- 94 illas expoſuit. Monendum vero eſt, ipſam regulam non tolli exceptionibus.

darorum tumorum incifio neceffaria eft, tum vt impedias, quo minus materia aeris ferpat illaefasque partes inuadat, tum vt idonea remedia ad fundum vsque tumorum deferre putredinemque corrigere et fphacelum compefcere poffis. Hac quoque ex cauffa incifiones fatis profundae effe debent. Euacuato ichore acri et putrido, fuppuratio bona idoneis remediis procreanda eft.

§. XXIII.

Cataplasmata, quae hisce in cafibus potiffimum adhiberi folebant, e floribus chamomillae et arnicae compofita, et aceto, fale ammoniaco farinaque mixta erant. In vfum quoque vocatum eft fermentum panis cum aceto, finapi et melle. Simulac adparuerunt fuppurationis incipientis figna, vnguentum digeftiuum et bafilicum cum falis ammoniaci aliqua parte mixtum adplicatum eft. Hisce vnguentis fuperimpofita funt cataplasmata emollientia, donec fuppuratio fufficiens oriretur et corruptarum fphaceloque deftructarum partium feparatio fieret. Interdum fufficiens fuit vfus vnguenti bafilici et cataplasmatum emollientium.

§. XXIV.

Bubonibus adplicui cataplasmata ex aqua vegeto - minerali et mica panis parata, quibus per noctem fubftitui emplaftrum de galbano - crocatum aut diachylon compofitum. Memini me videre egregium horum remediorum effectum variis in cafibus, praefertim in morbo, quo correptus fuerat iunior quidam Chirurgus meae curae traditus. Si vires naturae languent, remedia magis ftimulantia et irritantia addenda funt, v. c. gummi ammoniacum. galbanum. fapo venetus etc. quae cataplasmatibus rite admifcentur. Quamprimum in bubonibus fluctuationem fentias, aperire illum debes, quo facto fuppuratio per aliquod tempus fuftentanda eft, donec vulneris inflicti fanatio fponte locum habeat. Haec vero fecundum generaliores regulas tractanda funt. Quod denique ad fymptomaticos carbunculos attinet,

net, discuſſio illorum peracta eſt fomentationibus tepidis ex aceto paratis, quibus vel camphora vel ſal ammoniacus addebatur.

§. XXV.

Carbunculos in ipſis bubonibus oriri poſſe, id quod nonnulli negarunt, obſeruatio docuit Ill. ORRAEI, quam et equidem exemplo confirmatam vidi. Nauticus quidam in noſocomium, quod curae meae demandatum erat, delatus eſt. Id quidem non deſtinatum erat aegrotis peſte laborantibus, tamen vero quotidie fere accidit, vt decem ad viginti vsque inuenirentur, quos a reliquis ſeparare neceſſe erat, quia carbunculis aut bubonibus iam laborabant. Inter hos erat ille, de quo ſermo eſt. Oculi languidi, lingua muco viſcido obducta, animus demiſſus, virium defectus, et infirmitas extremitatum inferiorum, quae tanta erat, vt titubando ebriorum inſtar incederet, ſuſpicionem mouerunt, hominem iſtum peſtis contagio correptum eſſe, quo nempe morbo neruoſum ſyſtema potiſſimum adficitur. Inſtituto adcuratiori examine, bubonem inueni in glandula thyreoidea *) et maxillarem glandulam tumidam animaduerti. In medio bubonis vidi puſtulam, quae octo horarum ſpatio in carbunculum conſpicuae magnitudinis mutata eſt. Ad excitandas vires vitales dedi ipſi liquorem anodynum mineralem HOFFMANNI cum camphora, vna cum potu calido ex infuſo florum arnicae et ſambuci parato. Iuſſi carbunculo adplicari cataplasmata antiſeptica ex floribus chamomillae et arnicae, farina et aceto compoſita: erat enim tumor iſte ſymptomaticus, non criticus. Mox tamen exorta eſt gangraena in carbunculo et in ipſo bubone. Inſequenti die inueni carbunculum, pariter ac bubonem, ſphacelo correptum, nigrum et ichore foetidiſſimo inquinatum, totamque cutem anterioris partis colli putredine adfectam et deſtructam. Breui poſt incredibili celeritate totum fere collum ſphacelo correptum eſt, et mox in ſoporem incidit aegrotus nocteque inſequenti e vita diſceſſit. Adhibui remedia antiſeptica efficaciſſima, e. gr. camphoram, moſchum, corticem peruuianum etc. ſed ſphacelum tollere non potui.

 §. XXVI.

*) Vnico hoc exemplo bubones in hac glandula vidi, etſi magnum aegrotorum peſte laborantium numerum obſeruauerim.

§. XXVI.

Diaeta ad certas ac definitas regulas adcommodari nequit, quippe quae pro consuetudine et habitu aegroti ac pro diuersa morbi indole variare debet. In genere tamen, eiectis prius biliosis sordibus ex ventriculo, melius conducit diaeta animalis acidula, e. gr. iusculum carnium aceto aut succo citri mixtum, quam mere vegetabilis, quia vires naturae vitales, quantum fieri potest, sustentari debent. Ipsa caro tenera aceto humectata bono cum successu aegrotis data est, si nempe non aderant manifesta putredinis signa. Inter vegetabilia vero fructus acidos maturos dedi, inprimis baccas Vaccinii oxycocci Linn.

§. XXVII.

Quod ad prophylaxin in peste obseruandam attinet, non habeo quidem quae addam iis praeceptis, in quibus exponendis versati sunt scriptores supra laudati: pauca tamen ex mea qualicunque experientia desumta breuiter indicare liceat. Verum omnino est, infectionis periculum plane auerti posse, tum fuga aegrotorum, tum euitatione immediati contactus. Sed quis est medicorum, qui miseros suae sorti committere se sine scelere posse existimet, vt sibi salutique propriae tantummodo prospiciat? Procedamus igitur ad aliud auxilii genus! Opus est, vt animo sit intrepidus quicunque ad homines peste infectos adpropinquare velit debeatque, vt ieiunus non sit, vt acetum vini odoretur aut fumum tabaci capiat, vt immediate post contactum manus lauet aceto vini. Deinde quoque vestimenta mutanda, et ea, quae deposita fuerint, aëri libero exponenda et fumiganda sunt, aut induenda est vestis e panno cerato confecta. Conducit quoque, si vespertino tempore capias potum calidum e spiritu oryzae, saccharo, succo citri et aqua compositum, qualem Angli *punch* vocant, quippe qui transpirationem mouet. Si vero credas, te infectione correptum esse, emeticum statim capias, dein vero sumas mixturam simplicem cum infuso florum arnicae et sambuci, et in lectum te recipias, vt sudor oriatur, cuius ope potissimum miasma illud subtilissimum expelli potest, si nempe humo-

humoribus intime nondum admixtum eſt. Hisce remediis egomet ſaluti meae proſpexi.

§. XXVIII.

Sunt, qui contendant, nullam praediſpoſitionem locum habere, ſed quemcunque ſine omni exceptione per ſolum contactum contagio adfici; ſunt alii, qui contrarium doceant, a quorum parte et me ſtare fateor. Refert Ill. ORRAEVS *), ſe vidiſſe parabolanos, qui in vno eodemque lecto cum aegrotis peſte laborantibus decumberent, aut lecto impune vterentur, in quo breui antea alii mortui erant. **) Per decem fere menſes quotidie viſitaui plures aegrotos peſte laborantes, pulſum examinaui digitis, manusque ſaepe admoui tum corpori tum veſtimentis illorum qui hoc morbo adfecti erant, et tamen ne minimum quidem contagii veſtigium in me percepi. Nullam aliam adhibui cautionem, niſi illam, de qua ſupra dixi. Mane potum coffeae ſumſi, in noſocomio tabaci fumum hauſi, dein corpus modice moui in aëre libero, donec oriretur aliqua transpiratio, et veſperi vno alteroue cyatho potus illius angiici, qui *punch* vocatur, vſus ſum. Alii, qui raro accedebant ad aegrotos peſte laborantes eosque vix digitorum apice tetigerant, omni cautione adhibita tamen infectione correpti et necati ſunt. Nonne ex his exemplis ſatis patet, adeſſe debere diſpoſitionem aut procliuitatem quandam ad recipiendum miasma peſtilentiale?

§. XXIX.

*) l. c. pag. 81.

**) The houſes which before were full of the dead, were now again inhabited by the living, and the ſhops which had been moſt part of the year ſhut up, were again opened, and the people again chearfully went about their wonted affairs of trade and employ, and even, what is almoſt beyond belief, thoſe citizens who were before afraid even of their friends and relations, would, without fear, venture into the houſes and rooms where infected perſons had a little before breathed their laſt: nay, ſuch comforts did inſpire the languiſhing people, and ſuch confidence, that many went into the beds where perſons had died, even before they were cold or cleanſed from the ſtench of the diseaſe. RVSSELL, pag. 270.

§. XXIX.

A peſtis inoculatione vix credo boni aliquid ſperari poſſe: vera enim ea eſſe, quae Ill. ORRAEVS *) et DOLST **) monuerunt. experientia edoctus ſum. Peſtem plus vna vice eidem homini poſſe communicari, docuit nuperrime quoque cl. RVSSELL ***), id quod et ego expertus ſum. Vnicum liceat exemplum adducere ex pluribus, quae exponere poſſem, ſi in re tam euidenti multarum obſeruationum fide opus eſſet. Summi praefectus claſſis iuſſu factum eſt, vt conſpicuum numerum eorum hominum, qui in magno noſocomio curandis peſte laborantibus deſtinato fuerant et a morbo conualuerant, debita prius cautione adhibita examinarem. Iuſſum erat a praefecto, vt in libero aëre, depoſitis veſtimentis omnibus aeque ac induſiis, in tota corporis ſuperficie aceto vini lauarentur, quo facto data ipſis ſunt ſumtibus Auguſtiſſimae Imperatricis noua plane veſtimenta, tandemque reducti ſunt ad alia domicilia ſatis ſpatioſa. Tum trium vel quatuor hebdomadum ſpatio ſaepe examinati et obſeruati ſunt, donec, nullis amplius morbi indiciis adparentibus, ad ſolita militum tuguria mitterentur. Horum hominum nonnulli poſt duos tresue menſes, etſi nulla prorſus morbi indicia apud illos adparuerant, denuo peſte infecti ſunt. Itaque cum et hoc exemplo ſatis pateat, vnum eundemque hominem duabus aut pluribus vicibus peſte adfici poſſe, non video, quemnam vſum praeſtare poſſit peſtis inſitio. Nec ſpero fore qui credant, in hoc meo exemplo aliquas contagii reliquias remanſiſſe

*) l. c. pag. 61.

**) Diſſ. ſupra allegata pag. 30.

***) In the plague, contrary tho what happens in the ſmall-pox, perſons are liable to be infected more than once; not only at long intervals, and in different climates, but in the ſame town, in the courſe of the ſame peſtilential ſeaſon. This fact, which has been doubted formerly by ſome phyſicians, and by others expreſsly contradicted, has been long eſtabliſhed upon the beſt authorities. RVSSELL pag. 180.

manſiſſe et miasma per tam longum tempus abſconditum latuiſſe, id quod omni ſane experientiae contrarium eſt. *)

§. XXX.

Saepiſſime obſeruaui id, quod Ill. Orraeus **) iam monuit, peſtis nempe contagium per calorem artificialem longe volatilius et ſubtilius quaſi reddi. Balnea illa calida et ſudorifera, quibus frequenter vti ſolent Ruſſi, infectionem quam maxime facilitant. Saepe vidi homines peſte infectos, qui praeterito die in balneo fuerant, quam ob rem curaui, vt balnea illa maiori minoriue poena ſancirentur. Idem infectionis genus obſeruaui, cum lotrices induſia et veſtimenta aegrotorum lauarent. Contagium enim hisce veſtimentis adhaerens vapore aquae calidae ſoluitur et cum illo vel per cutem abſorbetur, vel per os et nares in pulmones et primas vias transit.

§. XXXI.

Cum peſtis plane disparuerat, febres exortae ſunt, iis nimirum in locis, vbi contagium ſporadice tantummodo obſeruatum fuerat. Hae febres ſecundum meas aliorumque obſeruationes maligniores fere erant, quam ipſa peſtis, multisque hominibus exitiales, praeſertim ſi non ſtatim ab initio remediis idoneis coercerentur. Praeter petechias vero diuerſae magnitudinis, nec carbunculos nec bubones in illis animaduerti.

§. XXXII.

Atrociſſima haec epidemia inter fabros nauales potiſſimum obſeruata eſt. Hi, pariter ac reliqui Cherſoni incolae, peſtis con-

*) In what time after its reception, the peſtilential virus begins to discover itſelf, is a point of difficult diſcuſſion. The period, from unknown cauſes, varies in different ſubjects; but its effects, in ſome inſtances, ſeem to be almoſt inſtantaneous: or, at leaſt, become perceptible in a few hours. I venture to aſſert this from the having known perſons who had long been ſhut up, taken ill almoſt immediately, or in a day or two, after their coming out from confinement. M. Bertrand places the extreme term at thirty-five days, beyond which no inſtance was obſerved at Marſeilles. Russell pag. 195.

**) l. c. pag. 58.

contagio antea fuerant correpti, quod vt euitarent ad tuguria confugerunt, in iisque ob anguſtiam loci confertim degerunt, quo facto alter alteri detrimento fuit. Omnem quidem curam adhibuerunt praefecti nauium *), vt aegroti a reliquis ſeparati in loco ſatis ab vrbe remoto, nempe in noſocomio, quod meae curae demandatum erat, omnibus rebus abunde inſtruerentur, quaecunque ad ſalutem ipſorum ſeruandam et reſtituendam neceſſaria eſſent; tamen vero ab initio huius epidemiae tanta fuit morbi vehementia et inſuperabilis atrocitas, vt non ſolum ille chirurgus, cui aegrotorum examen demandatum erat, vna cum vxore ſua mox periret, ſed etiam, vt maxima aegrotorum pars huic malo ſuccumberet. Ab octodecim aegrotis, quos prima die verſus meridiem in noſocomium recepi, altera die matutino tempore quinque tantummodo ſupererant: inſequenti tempore morientium numerus decreuit quidem, ſed tamen conſpicuus fuit. Tanta erat humorum putredo, vt breui poſt mortem ex ore aliisque partibus, immo e tota corporis ſuperficie, ſanguis copioſe erumperet.

§. XXXIII.

Statim ab initio morbi aderat ſumma virium proſtratio, ſingularis animi demiſſio, pulſus paruus et adeo exilis, vt digitis vix percipi poſſet, et ſopor, qui praecipue morbi vehementiam indicabat. Die tertio vel quarto accedebant petechiae inſolitae magnitudinis in toto fere corpore, vel vibices in quibusdam partibus, praecipue in extremitatibus et in dorſo. In nonnullis exorta eſt narium haemorrhagia, quae leuamen non attulit, ſed vires manifeſte fregit.

§. XXXIV.

In principio morbi efficaciſſima remedia antiſeptica adhibenda erant. Corticem peruuianum, arnicam, acida mineralia,

campho-

*) Non poſſum, quin laudibus extollam ſingularem egregiorum horum virorum humanitatem et erga omnes benignitatem, quam et ipſe expertus ſum. Inprimis grata mente recordor inſignem erga me beneuolentiam Illuſtriſſimorum Virorum, Comitis a Balmen et Equitis Svchotin, quorum ille militum, hic nauium ſummus praefectus fuit. Optimis hisce Patronis et me vitam ac ſalutem debere lubens fateor.

camphoram, ferpentariam virginianam larg
potum ordinarium, quem fpiritus vitrioli ope aci
frigidum dedi. Cubicula, in quibus detinebantur aeg
feneftras apertas aëris introitu depurare ftudui, etfi
fe Ianuarii. Saepiffime quouis die aceti feruidi vapor
impleui, atque lectos et pauimenta aceto humectari iuffi. Ae-
grotorum, quos in nofocomium recepi, totum corpus fpongiae
aceto madefactae ope mox lauari curaui, quo facto, datis prius
mundis veftimentis, mundis cubilibus illos collocari iuffi.

§. XXXV.

Remedia euacuantia raro adhibenda erant, exceptis tamen emeticis, quae in vfum vocare non dubitaui, fi figna fordium manifefta vel fpontanea vomendi conamina aderant. Immediate poft emeticorum vfum antifeptica vfus fum methodo. In iis cafibus, in quibus mihi contigit effe tam felici, vt vires vitales plane fere proftratas excitarem et augerem, cui vfui inprimis largae dofes camphorae inferuire animaduerti; aegroti quidem breui conualuerunt, fed minus perfecte. Raro enim crifis manifefta, euacuatoria vel alia, adparuit, vrina tamen excepta, in qua fedimentum fufcum et foetidum aliquoties obferuaui. Diarrhoea fi qua accedebat, colliquatiua erat, pariter ac fudores, qui, cum etiam colliquatiui effent, aegrotos ita debilitarunt, vt breui poft, amiffis omnibus viribus, e vita decederent.

§. XXXVI.

Soporis aut ftuporis fpeciem in plerisque per aliquod tempus remanere animaduerti, cui equidem optimo cum fucceffu oppofui continuatum acidorum vfum. Hunc in finem inprimis dari iuffi potus acidulos et iufcula aceto vini mixta.

§. XXXVII.

Periculofiffima haec epidemia manifefte diminuta eft, tandemque fex circiter hebdomadum tempore elapfo plane ceffauit, fequenti auxilio adhibito. Qui nempe fani erant, e domiciliis fuis in tentoria, in libero campo exftructa, delati funt, noua-

contagio antea fue... ...erunt, ipsisque domibus plane destructis confugerunt, in ...acendio deleta sunt. Aegroti in nosocomium quo facto alter ...em separati sunt. Noua ipsis quoque data sunt ram adhibuer... illa, quibus prius vsi fuerant, idoneis suffimentis parati in ...vero aëri diu exposita sunt. Ita factum est, vt praeter hosce homines nemo corriperetur hac epidemia, reliquaque plebis pars, euitato cum illis commercio, ex hoc periculo euasit.

§. XXXVIII.

Omnes quidem subchirurgi, pariter ac ministri et parabolani, hoc morbo correpti, sed tempestiuo remediorum antisepticorum vsu restituti sunt: ipse vero equidem et hoc contagio adfectus non fui. Nonne ex hoc quoque exemplo sequitur, opus esse dispositione quadam in corpore, si infectio locum habere debet?

§. XXXIX.

Ineunte aestate anni 1784 pestis Chersoni cessauit. *) Ad quasdam regiones Ukrainiae delata quidem est, praecipue ad vrbem *Krementschuk*, sed vlterior eius propagatio impedita est singulari studio eorum, qui publicis rebus praefecti erant, quorum cura id, quod in hac parte opus erat, prouisum est. Dubium non est, fore, vt in posterum libera semper sit et maneat carissima patria ab atrocissimo hoc malo: AVGVSTISSIMAE enim IMPERATRICIS, cuius humanitatem et in subditos suos, quotquot eorum sint, benignitatem omnes vno ore profitentur ac venerantur, iussu tam egregia praecepta tradita et vulgata sunt, vt sancta et adcurata eorum obseruatione malum illud omnino auerti in posterum debeat ac possit.

*) „Iunio mense, qualiscunque et quantacunque sit ibi (Cairi) pestilentia, sole primam cancri partem ingrediente, omnino tollitur, quod multis plane diuinum esse non immerito videtur. Sed quod etiam valde mirabile creditur, omnia supellectilia pestifero contagio infecta tunc nullum contagii effectum in eam gentem edunt, ita, vt tunc ea vrbs in tutissimum ac tranquilissimum statum reducatur ex summe morboso, atqui morbi particulares sporadici tunc apparere incipiunt, qui nusquam gentium tempore pestis adparebant." PROSPER ALPINVS *de med. Aegypt.* L. I. cap. 17.